



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. V. De certitudine gratiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ne, à qua tamen non dependet, sed à contraria, in alio; mollities in cera ex natura rei dependet à calore, & tamen hanc dependentiam non habet in luto. Pariter ergo, licet gratia sanctificans in pueris nullam dicat dependentiam à motibus liberi arbitrij, eam tamen ex natura rei importat in adultis peccatoribus.

Ad secundam similiter dico, Majorem non esse universaliter veram, sed aliquando falsam: calor enim qui requiritur ad introductionem formæ carbonis in lignum, non est necessarius ad talis formæ conservationem.

Agendum hic esset de dispositionibus ad gratiam actualem, & discutiendum, an homo ex viribus naturæ possit se disponere ad primum auxilium gratiæ, vel saltem, an facienti quod in se est ex sola facultate naturæ, Deus non denegat gratiam, sed ipsam infallibiliter & ex certa lege impertiat? Verum quia in Tractatu de prædeterminatione, dilucidè & exactè has difficultates resolvimus, ab his in præsentia abstinemus, & ad locum illum Lectorem remittimus. Unde sit

Disp. 2.
art. 3.



DISPUTATIO V.

De Certitudine Gratiae.

DIvus Thomas artic. 5. hujus quæstionis 112. agit de certitudine gratiæ: unde ut ea quæ ibi docet exponamus, hanc disputationem subjungimus, in qua duo tantum examinanda occurrunt. Primum est, an aliquis, seclusa peculiari revelatione, possit esse certus certitudine fidei, vel theologicæ, se esse in gratia, & emundatum ab omni peccato? Secundum, an saltem possit habere certitudinem moralem suæ justitiæ, quæ omnem formidinem excludat?

ARTICVLVS PRIMVS.

An sine peculiari revelatione homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologicæ, se esse in gratia.

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum, & duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

1. **S**upponimus tanquam certum & indubitatum, aliquem hominem privatum certò posse cognoscere, & credere se esse in gratia, si hoc specialiter ei revelatum fuerit; sicut fuisse revelatum Adamo in statu innocentie, & Angelis in statu viæ, tenent plures Theologi: imò S. Thomas hic art. 5. docet aliquibus Sanctis ex speciali privilegio hoc interdum revelari, ut (inquit) securitatis gaudium in hac vita in eis incipiat, & confidentius & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vite sustineant.

2. **Q**uæstio ergo procedit de via ordinaria, & citra hujusmodi privilegium; & movetur primò contra hujus temporis hæreticos, asserentes hominem in hac vita non tantum posse esse certum de sua gratia & salute, sed etiam teneri fide Catholicæ credere se esse justificatum. Secundo

A movetur contra Catharinum, qui opusculo de certitudine gratiæ docet justum posse discursu theologico (deducto ex una propositione de fide, & alterà lumine naturali notà) certò & evidenter cognoscere se esse in gratia. Pro veritatis catholicæ declaratione & defensione

Dico primò: nullus, seclusa revelatione, potest esse certus certitudine fidei se esse in gratia.

Hæc conclusio probari posset multis Scripturæ testimonijs, sed duo sufficient, quæ adducit D. Thomas hic art. 5. Primum quod habet in argum. *Sed contra*, sumitur ex cap. 9. libri Ecclesiastes: *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit*: ubi de amore & odio Dei sermo est, & de homine justo, ut colligitur ex verbis præcedentibus, *sunt justii &c.* Unde D. Bernardus: *Terribilis est locus iste, & totius expertis quietis; totus inhorruì, si quando in eum raptus sum; illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore, an odio? &c.*

Secundum quod adducit in corpore articuli, habetur 1. ad Cor. 4. ubi Apostolus ait: *Neque meipsum judico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Quem locum idem S. Doctor ibidem lect. 1. sic exponit: *Nihil mihi conscius sum, id est non habeo conscientiam peccati mortalis; sed non in hoc justificatus sum, id est non sufficit ad hoc ut me justum pronuntiem; quia possunt aliqua peccata in me latere quæ ignoro, secundum illud Psalmi 18. Delicta quis intelligit?*

Nec obstat quod idem Apostolus (teste D. Thomà hic art. 5.) sciverit per revelationem se esse in gratia: nam vel quando prædicta verba protulit, adhuc non habuerat talem revelationem; vel si eam habuerat, ea non protulit, prout erat privata quædam persona, sed ut communem hominum personam agens; sicut cum dixit ad Rom. 7. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo*: aut si pro seipso ea protulit, hoc fecit attendendo ad communem modum cognoscendi propriam justitiam, præciso privilegio specialis revelationis, quod habebat.

D Probat secundò conclusio ex SS. Patribus, in eandem veritatem passim conspirantibus: Augustinus enim super hæc verba Psal. 50. *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi*, nihil tam incertum & occultum esse ait, quam quod Deus ignoscat peccantibus. Et lib. de perfect. justitiæ post medium: *Quantalibet* (inquit) *justitia sit prædixus homo, vereri debet, ne aliquid in se, quod ipse non videt, culpandum inveniat.* Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 22. respondens ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ de remissione suorum peccatorum certior fieri vehementer exoptans, ad eum scripserat, hæc habet: *Rem mihi difficilem, & tibi inutilem postulasti; difficilem, quia indignus sum cui revelatio immitatur à Deo; tibi inutilem, quia securitas negligentiam parit.* Idem Bernardus serm. 3. de adventu, de sua & proximi conscientia loquens, *Neutra* (inquit) *satis mihi nota, utraque abyssus inscrutabilis, utraque mihi nox est.* Quibus testimonijs apertè liquet, SS. Patres multum ab hac certitudine, quam jactant hæretici abfuisse.

E Norant etiam SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, quod Scriptura agens de remissione peccatorum, respectu personarum particularium, semper adhibet particulam istam, *forte*, ut à nobis perniciosam hanc justitiæ propriæ confi-

Serm.
23. in
Canticis

4

5

dentiam amoveat: Daniel. 4. *Peccata tua eleemosinis redime, forsitan ignoret Deus delictis tuis.* Actuum 8. *Age penitentiam, & roga Deum, si forte remittatur iniquitas tibi.* Iona 3. *Quis scit si convertatur Deus, & ignoret?*

6. Hanc Scripturam & SS. Patrum doctrinam confirmat definitio Tridentini sess. 6. cap. 9. dicentis: *Sicut nemo pium de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ubi Concilium non solum respexit & damnat dicentes hanc fidem necessariam esse ad justificationem, sed etiam asserentes eam esse possibilem, ut patet ex illis verbis: *Cum nullus scire valeat, &c.*

7. Potest etiam suaderi conclusio ratione: Per fidem divinam ea solum cognoscimus, quæ vel in Sacra Scriptura, vel in traditionibus sunt revelata, & proposita ab Ecclesia, per Concilia, vel Summos Pontifices: Sed non est revelatum, nec ab Ecclesia proponitur ut revelatum, quod aliquis sit in gratia: Ergo id non potest cognosci fide divina. Major patet: Minor probatur. Quamvis enim revelatum sit Deum parere verè penitentibus, nullibi tamen est revelatum, quod ille auriste in particulari verè & sincerè pœnituerit, & quod minister sacramenti penitentiae habuerit intentionem ipsum absolvendi à peccatis: Ergo &c.

Dico secundo: Non potest homo certò judicare se esse justum, etiam certitudine theologicà.

8. Probatur breviter: Id dicitur certum certitudine theologicà, quod virtualiter continetur in aliqua propositione universali à Deo revelata, & nobis per Ecclesiam proposita: Sed hæc particularis propositio, *Ego sum in gratia*, vel, *Mihi sunt remissa peccata*, non continetur virtualiter sub aliqua universali à Deo revelata, & nobis per Ecclesiam proposita: Ergo non potest esse certa certitudine theologicà. Major est certa: Minor probatur. Absoluta propositio particularis non continetur sub universali conditionata, quandiu non est certum conditionem esse completam in hoc individuo: Sed omnes propositiones generales de justificatione hominis, à Deo revelata, & nobis per Ecclesiam proposita, sunt conditionales (Deus enim non promittit gratiam & veniam peccatoribus, nisi sub conditione quod verè & sincerè pœniteant) & nulli certò constare potest talem conditionem esse impletam, quandoquidem illa posita est in actibus internis conscientie hominis, qui nec in se videntur, nec per experientiam sufficienter ipsimet homini innotescunt: Ergo propositio ista, *ego sum justificatus*, non continetur virtualiter sub aliqua universali à Deo revelata.

9. Confirmatur: Certitudo theologicà vel potest esse quasi à priori, ex causis nostræ justificationis, vel quasi à posteriori, ex effectibus ejus: Sed neutro modo haberi potest: Ergo simpliciter est impossibilis, absque speciali revelatione. Major patet: Minor quoad primam partem probatur. Causa gratiæ in anima est triplex, scilicet Deus, minister sacramentorum, & actus proprii penitentis, qui sunt dispositiones ad illam: Sed nullus potest esse certus de præsentia Dei causantis gratiam in anima, secundum illud Iob 9. *Si veneris*

A *ad me, non videbo eum: si autem abieris, non intelligam*: neque de efficacia sacramentorum, utpote quæ dependet ab intentione ministri, quæ nobis occulta est, & ab ordinatione & intentione Episcopi ordinantis, & conferentis illi potestatem, de qua etiam non possumus habere certam notitiam: nemo etiam potest esse certus de propria dispositione, cum non possit certò cognoscere, an habeat verum dolorem de peccatis, ex motivo supernaturali, qui sit contritio, vel saltem attritio: Ergo nemo potest habere certam cognitionem causarum gratiæ.

Quod verò eam à posteriori, & per effectus certò cognoscere nequeat, manifestum est: quia nullus est effectus habens cum gratia necessariam connexionem, certò & infallibiliter cognoscibilis, propter maximam conformitatem quam habent opera naturæ cum operibus gratiæ: mens enim humana (inquit Gregorius) sæpe sibi mentitur, & fingit se bonum amare quod non amat, ut experientia compertum est.

Confirmatur: Inter omnia gratiæ indicia, hæc duo sunt potissima, scilicet velle exponere vitam, seu subire martyrium, & nullius peccati mortalis habere conscientiam: Sed ex nullo istorum potest aliquis certò cognoscere se esse in gratia: Ergo id non potest certò scire à posteriori, seu ex signis aut effectibus. Minor probatur quoad primum: quia reperiuntur falsi martyres, qui cum putent se ex vero & laudabili motivo subire martyrium, ex aliquo tamen vitioso, sed occulto, aguntur in mortem, dumque existimant se perfectè relinquere seipsos, id quod habent pretiosissimum, scilicet vitam, profundendo, modo subtiliori seipsos quaerunt. Suadetur etiam quoad secundum: Nam David & Paulus erant sine conscientia peccati mortalis, & tamen primus dicebat: *Ab occultis meis munda me Domine*: secundus verò exclamabat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Quæ verba expendens Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos, ait: *Qui hoc dicebat, nullius vitæ peccati sibi conscius erat: sed quia legerat, Delicta quis intelligit? & sunt via quæ videntur viro justæ, novissima autem earum respiciunt in profundum inferni: idcirco remperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset; maxime cum Scriptura testetur: Est justus qui perit in iustitia sua.*

§. I.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Apostolus ad Roman. 8. ait: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*: At testimonium Spiritus Sancti est infallibile, eique fide Catholica tenemus assentiri: Ergo fide Catholica possumus ac tenemur credere, nos esse filios Dei, & per consequens justificatos, & in statu gratiæ. Unde Augustinus lib. de vera pœnit. cap. 2. *Non dicimus* (inquit) *dimittite nobis debita nostra, propter peccata, quæ remissa credimus in baptismo, nisi de fide dubitemus.*

Respondeo verba Apostoli intelligenda esse de tota Ecclesia, cui Spiritus Sanctus testatur quod habeat spiritum adoptionis; non autem de singulis Christianis in particulari: confert enim Apostolus totà Epistolà ad Romanos Ecclesiam cum Synagoga, contendens Ecclesiam habere spiritum adoptionis; Synagogam verò habuisse spiritum timoris. Si tamen velimus illud de fidelibus in

particulari intelligere, dici poterit, Apostolum illis verbis nos movere & excitare ad Deum ut patrem invocandum, ait enim: *Quicumque spiritum Dei aguntur, hi filij Dei sunt*: hæc autem invocatio non procedit ex certa fide, quam unusquisque fidelis habeat de sua justitia, sed vel ex certa fide, quâ credimus Deum esse patrem, qui nos vult in filios adoptare, si per nos non steterit; vel ad summum ex certitudine spei, quâ confidimus Deum jam nobis remisisse peccata, & in filios adoptasse.

Ad testimonium Augustini dicendum est, quod ille per particulam (*credimus*) intelligit, confidimus & existimamus: sæpe enim verbum illud *credere*, usurpatur pro arbitrari, atque confidere. Unde idem S. Doctor lib. 2. contra Cresconium cap. 26. eandem sententiam expressit, & loco *credimus*, posuit *confidimus*: confidentia autem multum à certitudine fidei distat, cum testimonium probabile ad eam sufficiat.

14. Objicies secundo: Ecclesia sancta non est magis certa de martyrio hujus hominis, quam ipse qui illud subit, & mortem pro Christo suffert: Sed Ecclesia indubitata fide ascribit illum catalogo Sanctorum: Ergo & ipse Martyr fide catholica cognoscit, & credit se habere gratiam & sanctitatem.

15. Respondet Medina negando Majorem: quia (inquit) in canonizatione Sanctorum Ecclesia habet specialem assistentiam Spiritus Sancti, ut nunquam decipiatur. Sed argumentum non cogit ut ad hoc recurramus: nam vel loquitur de Martyre, dum actualiter suffert passionem, & nondum mortuus est, & sic non canonizatur ab Ecclesia; vel fit sermo de Martyre jam mortuo, & tunc certo scit se habere gratiam, quia experitur fructum martyrij, tuncque solum canonizatur ab Ecclesia.

16. Objicies tertio: In Symbolo Apostolorum nobis proponitur credendus iste articulus, *remissionem peccatorum*: Ergo unusquisque credere debet suorum peccatorum remissionem, ac proinde se esse in gratia, cum peccatorum remissio non nisi per gratiam fiat.

17. Respondetur quod articulus remissionis peccatorum, qui nobis in Apostolorum Symbolo credendus proponitur, non est quod unusquisque credat peccata sibi esse remissa, ut volunt hæretici, sed quod sibi remittentur, si verè de illis poeniteat, & ad justitiam se disponat.

18. Objicies quarto contra secundam conclusionem: Quoties aliqua propositio particularis evidenter proponitur vel deducitur ut contenta sub aliqua universali de fide, veritas illius creditur certo, certitudine saltem theologicâ: At hæc propositio, *Ego sum in gratia*, in universali est revelata in multis principiis, ex quibus evidenter deducitur: Ergo potest esse mihi certa, certitudine saltem theologicâ. Major pater: Minor probatur. Hoc est unum principium revelatum, quod scilicet qui sacramentum baptismi vel poenitentiae recipit cum sufficienti dolore, consequitur peccatorum remissionem: At in particulari quis evidenti experimento potest cognoscere, se esse unum ex illis, qui cum sufficienti dolore baptizatus & absolutus est; nam de veritate sacramenti constat; de propria etiam dispositione potest esse certus, tum quia nemo est tam stupidus, qui si attendat non possit evidenter cognoscere, quâ fide, intentione, & affectu ad sacramentum accedat; tum etiam quia nunquam posset homo securus

A accedere ad sacramentum, si tam occulta esset congrua dispositio ad illud, ut eam nunquam certo cognoscere posset: Ergo &c.

Respondet concessa Majori, negando Minorem: licet enim propositiones illæ universales sint de fide, quia tamen includunt conditionem, ex cuius solum creditur propositio particularis contineri sub illa, ideo absolutâ fide credi non potest propositio particularis, donec certissimum & indubitabile sit, conditionem esse impletam in tali particulari; quod nunquam citra revelationem contingere potest. Nec ad hoc sufficit ingenij perspicacitas, cum mens humana sæpe fallatur, præsertim quantum ad actus internos conscientie, ut ex D. Gregorio supra annotavimus: licet possit sufficere ad hoc quod tutâ conscientia accipiat sacramenta, quia satis est in hujusmodi habere certitudinem practicam, ut infra dicemus.

ARTICVLVS II.

An homo possit habere certitudinem saltem moralem suæ gratiæ & justificationis omnino infallibilem, seu quæ omnem formidinem & dubietatem excludat?

A Andreas Vega lib. 9. in Tridentinum cap. 46. docet aliquos ad certitudinem moralem suæ justitiæ, secundum viam ordinariam, ita pervenire posse, ut absque ulla formidine & temeritate, non minus possint esse certi de suâ gratia, quam certum est dari in rerum natura Romam, vel Constantinopolim. Alij verò Theologi existimant solum posse haberi ab homine iusto probabilem & conjecturalem de suâ sanctitate & justitia cognitionem, quæ omnem quidem anxietatem, non tamen omnem formidinem possit excludere. Ita D. Thomas hic art. 5. & alij Theologi communiter.

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

Dico primò: secluso privilegio, & speciali Dei favore, non est possibilis propriæ justitiæ certitudo moralis, omnem formidinem excludens, & similis ei quâ assentimur huic propositioni, *Roma est*.

Probatur primò conclusio ex Tridentino, loco supra citato, ubi ait: *Quemlibet justum debere formidare de sua iustitia, dum seipsum suamque infirmitatem considerat*: Sed moralis certitudo, quâ credimus Romam esse, omnem excludit formidinem: Ergo ex Tridentino nullus justus, secluso privilegio, potest habere certitudinem moralem de suâ justitia, omnino infallibilem, ac similem ei quâ credimus Romam esse.

E Probatur secundo: Si quis talem haberet certitudinem, posset jurare sine temeritate se esse in gratia; sicut ego jurare possem esse Romam, quia est ita certum moraliter, ut non possit rationabiliter esse formido de opposito: Sed nullus potest sine temeritate jurare se esse in gratia, seu remissa sibi esse peccata: Ergo &c. Major pater: Minor probatur, ex facto Innocentij III. qui in cap. *Accipimus* de purgatione Canonica, reprobavit tanquam temerarium, juramentum cujusdam Archiepiscopi Bizuntini, qui juraverat se esse immunem à quibusdam criminibus, de quibus infamabatur, quia præsumebat uti æquivocatione, &c.

ne, & intelligere talia crimina esse per pœnitentiam expiata, & sibi à Deo remissa.

22. Probatum tertiò: Constat viros sanctissimos de sua salute multum formidasse, cum tamen propter præclara charitatis opera, quæ toto vitæ suæ tempore exercuerant, multum de Dei gratia debuissent confidere; præsertim si istud, ut contendit Vega, secundum legem ordinariam in quibusdam contingeret: Ergo non datur, etiam in viris sanctis, saltem de lege ordinaria, certitudo moralis de sua iustitia, omnem excludens formidinem. Consequentia patet: Antecedens probatur. Hilariion enim, ex Hieronymo in ejus vita; Agatho, & Stephanus, ex Clinaco in scala paradisi, licet plurima in vita miracula edidissent, tamen in instanti mortis de statu animæ suæ valde dubitarunt. Unde ipse Hilariion vehementi timore tunc percussus, coactus fuit animæ suæ dicere: *Septuaginta annis servisti Domino, & mortem times? Quæ verba manifestè indicant tunc in eo intercessisse luctamen timoris, ob rigorem judiciorum divinorum, & spei, propter obsequium septuaginta annorum, Deo præstitum. Quare verè dixit Augustinus apud Possidium in ejus vita, Neminem, nisi nullius sceleris sibi conscius sit, permittere debere, ut ex hac vita sine pœnitentia sacramento discedat.*

23. Denique suadet conclusio: Licet homo possit habere aliqua signa seu indicia de sua iustitia & sanctitate, ut dicemus conclusione sequenti, ea tamen non sunt ita certa, ut omnem formidinem possint excludere; quia interdum his similia possunt oriri ex puris naturalibus: At certitudo moralis quæ credimus Romam esse, omnem excludit dubitationem & formidinem; quia innititur testimonio infinite ferè multitudinis hominum, diversorum locorum, temporum, ætatum, qui de re viva testificantur, & qui propter diversitatem attestantium non potuerunt convenire ad confingendum mendacium: Ergo non est possibilis, secluso privilegio, certitudo moralis propriæ iustitiæ, similis ei quæ assentimur huic propositioni, *Roma est. Dixi, secluso privilegio*, nam quemadmodum privilegio potuit alicui concedi certitudo fidei de sua iustitia, sic etiam puto signis & effectibus specialibus gratiæ, atque extraordinarijs Dei beneficijs, concessam fuisse certitudinem de illa, ab omni dubio alienam, multis ex illustribus Sanctis, ut Martino, Benedicto, Bernardo, & alijs.

24. Dico secundo: Homo iustus potest habere probabilem & conjecturalem de sua gratia & iustitia cognitionem, seu certitudinem. Ita D. Thomas hic art. 5. ubi postquam probavit quod gratia cognosci possit per revelationem, non per demonstrationem, quia ejus principium per quod demonstrari potest, est Deus, qui in hac vita est nobis ignotus, prout scilicet est gratiæ author, subdit: *Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per signa; & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas; & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis: secundum quem modum potest intelligi quod habetur Apocal. 2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit, quia scilicet ille qui accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. Ubi S. Doctor alludit ad expositionem D. Bernardi in libro de*

Tom. IV.

A conversat. Clericorum, dicentis manna illud esse sapientiam & suavitatem Domini, quam non eruditio, sed unctio docet, nec scientia, sed conscientia comprehendit. Ibi etiam cap. 6. assignat tria signa seu indicia, ex quibus sumitur urgentissima conjectura præsentis gratiæ in anima, nimirum devotionis affectum erga Deum, contemptum rerum temporalium, animum nihil præter Deum, aut nisi propter Deum amantem. Et serm. 1. & 2. in festo Paschæ alia tria recenset: nam ibi expendens verba illa 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & sanguis*, subdit: *Testimonia verò gratiæ sunt hæc tria, in operibus spiritualibus exerceri* (operationes enim vitales spirituales, sunt signa vitæ spiritualis, sicut corporales corporalis) *lachrymarum fonte sordes peccatorum ablueri, & sanguinolento pœnitentia martyrio pravus affectus perimere.* His addit Soto aviditatem audiendi verbum Dei: qui enim ex Deo est, verba Dei audit, ut dicitur Joan. 8. De quo plura diximus in Tractatu de prædest. disp. 4. digressionem 1. quæ est de signis prædestinationis.

Potest etiam suaderi conclusio hac probabiliter. Suavi divinæ providentiæ dispositioni congruit, ut quemadmodum non oportuit quod homo perfectam haberet suæ iustitiæ securitatem, quæ omnem hæsitacionem amoveret, ut cum timore ac tremore nostram operemur salutem, & semper humiles & subjecti essemus; ita conveniens fuit, ut iusti haberent quandam probabilem & conjecturalem cognitionem, seu certitudinem de sua gratia & iustitia, ne perpetuâ anxietate cruciarentur, sed inter metum & spem suæ salutis, veluti inter duos cleros, seu terminos, extra quos in hac vita egredi non licet, ambulare.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bicies primò cum Vega: Si fideles non haberent certitudinem moralem omnino infallibilem, se esse in gratia, non possent Sacerdotes sine temeritate sacramentum Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum eis ministrare, nec ipsi fideles ea recipere; quia possent dubitare, an essent in statu gratiæ, & per consequens an essent sufficienter dispositi ad ea recipienda: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

26. Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cujus probationem dico duplex à Theologis distinguendum, unum speculativum, quando de re aliqua in se dubitamus; alterum verò practicum, quando dubitamus de ejus praxi seu exercitio, an scilicet eam exercere debeamus: inter quæ dubia illud est discrimen, quod dubium speculativum non impedit quominus tutò possimus operari; practicum verò illud impedit, cum per illud de opere exercendo dubitemus. Hinc fit ut licet sacerdos specularivè dubitet, an aliquis sit in statu gratiæ, si tamen probabilem de hoc habeat conjecturam, potest ipsi licitè ministrare Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum, quæ gratiam in suscipiente requirunt; quia per talem probabilem conjecturam fit practicè certus de bonitate talis operis. Idemque dicendum est de fidelibus laicis, qui licet specularivè de sua iustitia dubitent, non tamen dubitant practicè, unde ad Eucharistiæ, propter hanc conjecturalem certitudinem, possint accedere. Sicut etiam licet

R

speculativè dubitare possumus, an aliqua hostia sit consecrata, quia possumus revocare in dubium, an consecrans sit sacerdos, an debitam habeat intentionem, an panis sit triticeus &c. nihilominus quia probabiles de opposito habemus conjecturas, quando illa à sacerdote adoranda proponitur, eam possumus ac tenemur adorare, quia per tales conjecturas sumus practicè certi hoc esse licitum & sanctum.

28. Obijcies secundo: Potest quis esse certus certitudine infallibili de sua fide & spe: Ergo & de sua gratia & charitate. Consequentia videtur legitima: idcirco enim non posset quis esse certus de sua gratia & charitate, quia gratia & charitas, & actus ipsarum, sunt quid supernaturale: Sed non minùs est supernaturalis fides aut spes: Ergo si hoc non obstante possit homo de illis habere certitudinem infallibilem, poterit etiam esse certus certitudine infallibili de sua gratia & charitate.

29. Respondet Suarez lib. 9. de gratia cap. 12. num. 12. negando Antecedens: existimat enim non majorem dari certitudinem in homine de sua fide, quàm de gratia. Sed D. Thomas hic art. 5. ad 2. docet oppositum, ait enim: *De ratione scientia est quòd homo certitudinem habeat de his quorum habet scientiam, & similiter de ratione fidei est quòd homo sit certus de his quorum habet fidem: & hoc ideo quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo predicta dona existunt: & ideo quicumque habet scientiam & fidem, certus est se habere. Quod verò loquatur de certitudine infallibili, patet, quia verbis illis concedit certitudinem respectu fidei, quam denegat respectu gratiae: Atqui de gratia non negavit certitudinem conjecturalem, sed tantum infallibilem, ut constat ex verbis suprà relatis: Ergo istam concedit respectu fidei.*

A Melius ergo responderetur, concessò Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: duplex enim reperitur ratio discriminis. Prima est, quia fides est habitus certus, existens in intellectu, qui est potentia quæ perfectè reflectitur supra seipsam: omnis autem forma informans aliquod subjectum, tribuit ipsi suum effectum formalem; unde fides informans intellectum, primò tribuit ipsi certitudinem infallibilem de suo objecto; secundariò verò, & per reflexionem, tribuit etiam certitudinem infallibilem de seipsa. Hoc autem non potest competere voluntati respectu charitatis: tum quia voluntas non est cognoscitiva: tum etiam quia charitas non habet pro objecto formali certitudinem, sicut fides. Et quamvis spes sit in voluntate, nihilominus potest homo esse certus de sua spe, propter infallibilem connexionem spei cum fide: nam spes nunquam separatur à fide, nisi in eo qui in actum desperationis prorumpit; potest autem homo esse certus, se nunquam in talem actum prorupisse, & sic cum sit certus se habere fidem, arguitivè etiam certus esse potest se habere spem.

C Secunda ratio disparitatis est, quia fides habet certam & infallibilem regulam extrinsecam, quam certò & infallibiliter possumus & debemus cognoscere, scilicet propositionem Ecclesiae: quamvis enim ratio formalis fidei, sive motivum assentiendi per fidem, sit sola revelatio divina, quæ supernaturalis est; nihilominus quoad nos, motivum, sive potius applicatio, est ipsa auctoritas Ecclesiae, proponentis nobis aliquid tanquam certò revelatum; & ideo cum simus certi per fidem, Ecclesiam in qua modò sumus, esse veram & legitimam, sumus etiam certi, nos assentientes his quæ proponit ut revelata à Deo, habere fidem de illis.

